









7.  
IN NOMINE JESU, PASCHALIS VICTORIS!  
FESTUM PASCHALE PRIMUM,  
VEREQVE PARADISIACUM,

DE  
FIDE PROTOPLA-  
STORUM PRIMA, VEREQ;  
CATHOLICA IN VICTOREM

PASCHALEM,  
EX GENES. III.

DISPUTATIONE THEOLOGICA,  
REPETITUM, ET CELEBRATUM,

QVAM,  
PRÆSIDE

RECTORE HUIUS ACADEMIÆ,  
DN. D. JO. DEUTSCHMANNO,  
THEOLOGO CONSUMMATISSI-  
MO, SENIORE SUÆ FACULTATIS VENERANDO,  
ALUMN. ELECT. EPHOR. GRAVISSIMO,

FERIA III. PASCHALI,

D. II. APRIL. ANNO M DC LXXXIIX.

HORIS POMERIDIANIS,

IN CATHEDRA LUTHERI,

DEFENDET,

M. ABR. HEN. DEUTSCHMANNUS,  
WITTEBERGENSIS.

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



FESTINA PASCHALE PRIMUM  
MIRRORE PARADISIACUM

FIDE PROTOPA  
STORUM PRIMA VERE  
CATHOLICA IN VICTORIAM

DISPUTATIONE THEOLOGICA  
REPTITUM ET CLARUM

REPTITUM ET CLARUM  
REPTITUM ET CLARUM

REPTITUM ET CLARUM  
REPTITUM ET CLARUM

REPTITUM ET CLARUM  
REPTITUM ET CLARUM

REPTITUM ET CLARUM  
REPTITUM ET CLARUM





IN NOMINE JESU, PASCHALIS VICTORIS!  
 FESTUM PRIMUM PASCHA-  
 LE, VERE PARADISIACUM  
 PROTOPLASTORUM,  
 DE  
 FIDE CATHOLICA PRIMO-  
 RUM FIDELIUM IN MESSIAM PA-  
 SCHALEM VICTOREM.

EX GEN. III.



**D**aradisus *primus*, est paradisus *ortus*,  
 paradilus *mundi*, paradisus *Christi*, paradi-  
 lus *nature*, paradilus *gratia*: *typus* ille, sed  
 hic *antitypus*, sicut in aliis, sic etiam in Pa-  
 schalibus *Mysteriis*. *Victoria Contritoris*  
*Serpentini Capitis*, est *Victoria Messie* pu-  
 gnantis, ac per *passionem*, & *mortem Ho-*  
*stem infernalem* superantis, ad *terram Vi-*  
*ventium* remigrantis, ac è *mortuis resurgentis*, hoc est *Victoris Pa-*  
*schalis*. *Posuit Deus inimicitias* inter *peccatores homines*, & inter  
 ipsum *antiquum serpentem*, quia *Nequam* hic per suum *Nequa-*  
*quam* posuerat *inimicitias* inter *Deum creatorem*, & *integram*  
*creaturam*, per *astutam tentationem*, & *plenariam seductionem*.  
 Homo per *Diabolum* lapsus *apostasia*, *corruptus ἀμαρτία*, vel *ἀνα-*  
*γασία*, sed ex Dei *Φιλανθρωπία* *revocatus* homo lapsus ex *πα-*  
*νολεθρία*. Hinc *inimicitie* natae sunt inter *antiquum serpentem*,

A

& ic.



2 DE FIDE CATHOLICA PRIMORUM FIDELIUM

& inter *revocatum hominem*. *Homo* revocatus nihil audebat, nihil valebat, ad *opem Dei* salutarem respiciebat. *Deus* igitur ponit *inimicitiam*, ponit fortiter, ponit firmiter, ponit feliciter, sed non inter *serpentem*, & *ψαλάθρωπον*, verum inter *serpentem*, & *Ἰεαίθρωπον*, inter *Draconem*, & *Semen mulieris*, *Jehovam Elohim*. Sic *Inimicitia* primum orta fuit inter *Cacodamonem*, & *Deum*, per *apostasiam* primam *malorum Angelorum*: hæc peperit *Inimicitiam* inter *hominem*, & *Deum*: per *ἀμαρτία*: *Inimicitiam* inter *Deum*, & *hominem*, sequitur per *Φίλαθρωπία*: *Inimicitia* inter *Semen mulieris*, & *serpentem*: *Inimicitiam* inter *Semen mulieris*, & *serpentem*, sequitur *Hominum pœnitentium*, & *credentium Inimicitia* cum *serpente*, qui pariter per *fidē* contra *Satanam inimicitias* in *Christo* gerere debent. Illustris hæc est *inimicitiarum* vel *catena*, vel *seqvela*. Jam *Inimicitia* parit *pugnam*, vel *Militiam*. *Militia* respectu *Vincentis* gignit *Victoriam*, & *Gloriam*, respectu *victi* *fugam*, *penam*, & *ignominiam*. *Deus* ipse posuit *inimicitiam*, apposuit *militiam*, imposuit *Victoriam*; *illam* posuit in *Semine Mulieris*, & *Messia Nativitate*, vel *Incarnatione*, *istam* in *acerbissima calcanei contritione*, vel *acerbissima passione*, & *morte*; *hanc* in *serpentine capitis conculcatione*; *illam* in *ingressu*, *istam* in *progressu*, *hanc* in *egressu*; *illam* in *Festo Messia Natali*, *istam* in *Passionali*, *hanc* in *Paschali*; *illam* *Materialiter* in *Semine Mulieris*, tanquam *subjecto*; *istam* *formaliter*, tanquam in *satisfactionis lytro*, *hanc* *finaliter* in *vite*, *peccatoribus restitutæ*, *beneficio*, vel *privilegio*: *illam* in *gratiola carnis assumptione*, *istam* in *acerbissima*, vel *ignominiosa humanitatis passione*, *hanc* in *gloriosa resurrectione*. Sicut igitur in *Anno Nostro Festivali Paradisiaco*, celebravimus *Festum Primum Genethliacum Protoplastorum*, verè *Paradisiacum*, & quoad *Fidem primam Paradisiacam* verèq; *Catholicam Incarnationis*, in *Semine Mulieris* publicis *Meditationibus* publicavimus: præterea quoq; *Festum primum Passionis*, & *Mortis Messia Protoplastorum*, itidem *Paradisiacum*, quoad *Fidem primam Paradisiacam*, & *verè Catholicam Protoplastorum*, de *Passione*, & *Morte Christi* superioribus diebus *Academice solennitate* sanctificavimus: ita bono cum *Deo* nunc *Festum Pascha-*



IN MESSIAM PASCHALEM VICTOREM, EX GEN. III. 3

*Paschale primum, idque Paradisiacum Protoplastorum nostris meditationibus Paschalibus exponemus, & Victoriosum Serpentis Contritorem devotis sacrarum literarum inquisitionibus expendemus, imprimis nostras contemplatiores, ad Protevangelium pie dirigemus. Nam & Protoplasti, ceu peccatores, non minus, quam nos omnes Vita paschali, resurrectione paschali, Victoria paschali contra serpentem opus habuerunt. Quemadmodum igitur nos sine vita Christo, sine Victore Christo, sine Dominatore Christo, Paschale Festum celebrare, vel etiam aeternam vitam expectare non possumus, ita pariter sine Vita Seminis mulieris, sine Victoria in Caput serpentis, sine Dominio Victoris Protoplasti suum Paschale Festum nullatenus instituire, nec vitam à semine mulieris exoptare, nec remissionem peccatorum ab eodem expectare potuerunt. Mortuus, & à serpente venenato, licet in calcaneo, contritus, & morti pariter obnoxius, certe, qua talis, Vitam aliis conferre nequit: sed cujus mors est vita, cujus passio nostra perpesio, cujus contritio, nostra restitutio, cujus defectio, nostra refectio, &c. ille certe sua passione, vel morte nobis non obest, sed prodest. Dum Christus vivit, ceu Caput, & nos vivimus, ceu membra. Si Christus non resurrexit, vana fides vestra, dicit Paulus (nulla vita vestra) adhuc enim estis in peccatis vestris, I. Cor. XV. 17. In peccatis nostri Protoplasti prorsus mortui per apostasiam: audiverunt Semen mulieris natum, audiverunt contritum, passum, & mortuum: nisi per divinam revelationem, & illuminationem cognovissent, & credidissent Messiam redivivum, Victorem Satanæ certum, Triumphatorem perpetuum, quomodo sibi per fidem spirituales vitam promittere potuissent? Mortuus, qua talis, non est vivus, nec vivificus, dejectus non est erectus, contritus non est conterens, patiens non est agens. Leo mortuus aliàs non rugit, nec rapit, nec occidit. Sed hic mirabile cernitur mysterium, dum Semen mulieris & contritum, & conferens, & lesus, & ledens, & moriens, & vivens, vereque vincens, imo vivificans, & triumphans. Sic Victoria Messie victoria dicitur Ecclesie, victoria cujusvis fidelis anime, victoria paradisiaca pariter Ecclesie. Non sibi, sed nobis Victor Paschalis, & obtinuit, & obtulit*



## 4 DE FIDE CATHOLICA PRIMORUM | FIDELIUM

*Victoriam.* Cruenta quidem fuit *victoria*, verissima tamen *Victoria*, Colloquium illustre, quod *Esaias* de *Messia*, & *Ecclesia*, vel *anima fidei*, describit, cap. LXIII. i. seqq. notatu dignissimum. *Contrivit* hostem, sed *attrivit* calcem. *Conculcavit* Serpentis caput, sed *vulneratum* accepit calcaneum. Viderunt hoc *Protoplasti* per *sacrificium*, audiverunt per ipsum *Verbum*, crediderunt per *Sancti Spiritus*, ac *illuminationis* internæ motum, vel *afflatum*. Vocabantur ad *anam*, contemplantur *sacrificii* *vulnerationem*, *maclationem*, & *occisionem*, & in eo *Messie* *passionem*, atque *mortem*: sed ipse *Messias* in *morte* *typi* *Vivus* erat, *vivus* manebat, & ipsi pariter primi *Parentes* in *vicariis* *sacrificiis* *maclabatur*, *trucidabatur*, & *comburebantur*, sed per *fidem* in *Messiam*, *remissionem* *peccatorum* accipiebant, *vitam* *spiritualem* obtinebant, *Messie* *justitiam* firmiter possidebant, & *justitie* *peccata* *regentis* *symbola*, per *vestes* *sacrificiales*, ad perpetuam rei *memoriam* induebant. Has & alias *informationes*, ac *representationes* in *paradiso* *Primi* *Parentes* *peccatores* *penitentes* acceperunt, & suis per *Spiritus Sancti* *paratissimum* *instinctum* *meditationes* *Paschales* instituerunt, ac *Agnum* *Paschalem*, verum mundi *Messiam*, in *oblato* *sacrificio* viderunt, crediderunt, & coluerunt. Et hoc sibi vult illud *Johannis*, *Apoc.* XIV. 8. quod *Agnus*, *nic.* *sacrificialis*, & *paschalis*, *oc. usus* sit *ab origine* *mundi*, non tantum aliis *Patriarchis*, sed *ipsis* *Protoplastis*, qui sub *prima* *mundi* *origine* vixerunt, *sacra* fecerunt, & in hunc *Agnum* *Paschalem* crederunt. In hoc etiam *Paschale* *Festum* suum instituerunt, *Paschalia* *Messie* *Viventis*, & *Victoris* *officia* crediderunt, & *beneficia* *Paschalia*, vera *fide* susceperunt. Adest hic *Messias* *Paschalis* *Victor*, qui conterit *Caput* *serpentis*. Adest hic *Paschale* *Verbum*, vel *Evangelium*, *Semen* *mulieris* *conteret* *caput* *serpentis*. Adest *Paschale* *subiectum*, *Homo* *peccator* *penitens*, atque *credens*, dum *Messias* *peccatoribus* *his* *penitentibus* dicit: *Ego* *vivo*, & *vos* *vivetis*. Adest *Paschalis* *actus*, ipsa *Contritio* *Serpentini* *Capitis*, & *destructio* *regiminis* *infernalis*. A sunt *beneficia* *Paschalia*. *Vita* *paschalis*, *Remissio* *peccatorum* *Paschalis*, *justitia* *paschalis*, *Pax* *Paschalis*, *Fides* *Paschalis*, &c.



&c. Quis igitur *Protoplastis* Festum Paschale denegaret? Habuerunt certe *Paschale Festum reale*, licet non habuerint *ceremoniale*, *substantiam* Festi *Paschalis* intenderunt, *circumstantiam* non attenderunt, *Primum* hoc *Paschale festum*, verè *nativum*, simpliciter *antiquum*, divinitus institutum, ac à *Propagatoribus* Generis humani *primitus* adornatum. O si nobis daretur *Spiritus plenitudo*, *mysteriorum* magnitudo, *meditationum* multitudo, vel aliorum, quæ satis admiranda latent, in *historia paradisiaca*, copia, vel *abundantia*, *commentarios* integros de tanto Festo *Paschali*, seu *Victorioso* concribere possemus. Sed hæc nostra non capit imbecillitas. *Aliquid* tamen tentabimus, si *multa* præstare non valebitus. Rogamus igitur *Patrem* *omnis* gratia, ut *Spiritum* gratia, *Zach* XII. 10. nobis ex alto largiatur, quo tanta *misericordie* divina *specula*, nobis in *historia Paradisiaca* planius intueri, *mysteriorumq;* *Paschalium* per gratiam hanc quadantenus contemplari queamus! Rogamus ipsam *Sapientiam*, & *Eloquentiam* *Patris*, ut *Pugna*, *Victoriaq;* *sua*, *Paschalia* secreta nobis revelare, & ex sinu *Patris* nobis enarrare clementissime dignetur. Rogamus *Spiritum* *revelationis*, & *illuminationis*, ut *tenebras* *mentis* propulsare, *verbi* *lumen* per intimam suam *illuminationem* amplificare, & *arcanum* *Paschalium* *Paradisiacorum* *beneficiorum* nobis per verbum manifestare velit, quo *Paschalem* *Gratiam* admirari, *Paschalem* *Victoriam* contemplari, *Paschalem* *Gloriam* *Viventis* *Contritoris*, & *Victoris* devore venerari queamus!

Palcha grande, Pascha forte!  
 Vivis in furente Morte,  
 Magne Victor Inferorum,  
 Victor & Diabolorum!  
 Vita vera, Vita tota,  
 Sangvinis cruore mota,  
 Cælitusque destinata  
 Mortuis, ob atra facta!  
 Sed fide parata Vita  
 Mortuis, ob æqua Scita,

Exfoluta per Goëlem,  
 Vindicem Necis fidelem!  
 Vita fortis absque Morte,  
 Semper in virente sorte,  
 Absque labe Vita sancta,  
 Absque tabe semper uncta.  
 Christe Palcha, Christe Vita!  
 Gloriaque Cænobita,  
 Nos trahas in omne tempus,  
 Turgeat poli que campus!



## 6 DE FIDE CATHOLICA PRIMORUM FIDELIUM

Vive Tu per ora nostra,

Da salute plena rostra!

Vive Tu per omne factum,

Vive Tu per omne Fatum!

Gratiæ rotunda Vena,

Gloriæ Domusqve plena!

Fons salutis, Autor artis

Mysticæ, sacrique Martis!

Esto Carmen, &amp; Tropæum,

Cordis esto jubilæum!

Cordis aufer ejulare,

Oris adde jubulare!

I. Dum igitur *Festum Paschale, Protoplastorum primum, ex Paradiso* celebramus, & devotionem nostram ad solennem ejus *sanctificationem* invitamus, & excitamus, *Nucleum Paschalem* potissimum consideramus, *Victorem, & Dominum Paschalem, Semen Mulieris Jehovam Elohim, Capitis Serpentine contritorem.* Nam quod *Ecclēsia Christianorum, de primo Paschali Festo N. T.* canit, ut ad solennitatis hujus venerationem omnes excitet: So feyren wir das hohe Fest / mit Herzens Freud und Wonne: das uns der HERR scheinen läßt / Er ist selber die Sonne / der durch seiner Gnaden Glantz / erleuchtet unsre Herzen ganz / der Sünden Nacht ist vergangen: illud omni jure quoque de primo, vel antiquissimo Festo Paschali peccatores primi, penitentes, & credentes, & crediderunt, & summa cum veneratione suis posteris proposuerunt, ac eos ad celebrationem Festi Paschalis piis admonitionibus commoverunt, *Festum Paschale* magnum ipsis erat, quia magnum per *letitie Spiritum* in cordibus suis percipiebant *Paschale gaudium.* Magna lux *paschalis* exoriebatur in cordibus penitentium, quia *Sol justitie paschalis* fulgentissime splendebat in *animabus credentium:* *Ira Dei* contra peccatum evanuerat, quia *Gratiæ divina splendor* propter *lytron* solutum, & *satisfactionis precium* exsolutum, integra corda redemptorum longe, lateque repleverat. *Tenebræ peccatorum, & penarum* præterierant, *Dies Domini, Dies Gratiæ, justitiæ; salutis & gloriæ* protoplastis per fidem exortus erat. Merito proinde *Paschale, suum HALLELUIA* cecinerunt, & nos idem HALLELUIA pleno *Spiritu* repetimus, atq; cum *Protoplastis* ac omnibus *fidelibus paschalem Symphoniam, paschalem doxologiam* instituimus. Nam quod nos cum *Davide* cantillamus N. T. temporibus, ex Psal, CXIX. Man sinzet mit Freuden vom Sieg / in den Hüften

ten



ten der Gerechten / die Rechte des HERRN behält den Sieg / die Rechte des HERRN ist erhöht / die Rechte des HERRN behält den Sieg: dum in illo *jubilo David*, cum omnibus *fidelibus V. T.* cum *Prophetis*, ut & alii Viri *θεόπνευστοι* Solemnia Paschalia notarunt, & celebrarunt: sic & *Protoplasti* cum *antediluvianis* idem *jubileum Paschale*, per *Sancti Spiritus* instructionem, adornarunt. Si non fuerunt *eadem verba*, vere tamen *eadem* crediderunt *Paschalia Mysteria*, vel perceperunt *eadem gaudia*.

2. Ut autem propius ad *Causæ Caput* accedamus, & *Festum Paschale Paradisiacum*, eo planius instituemus, ac eo plenius *Mysteria Paschalia* juxta *Paradisiacam revelationem* percipiamus, *ordinem* convetum, eumque satis planum, satisque perfectum, & plenum observamus, cum alias dicatur vulgo, sed in proverbio vero, satis usitato versiculo: *Ordine pervenies, quo non datur ire laborare*. Nos igitur, dum *Fidem Paradisiacam*, vereque *Catholicam*, *Vite*, *Victorisq;* *Paschalis* exponere constituimus, ordine producemus, I. *Fidei, Festiq;* *Paschalis Paradisiacam Existentiam*. II. *Fidei, Festiq;* *Paschalis Paradisiacam Essentiam*. III. *Fidei, Festiq;* *Paschalis Paradisiacam Eminentiam*. IV. *Fidei, Festiq;* *Paschalis Paradisiacam Efficientiam*.

3. *Existentiam* quod attinet *Fidei, Festiq;* *Paschalis*, eam non uno modo considerare possemus, si ratione *Dei*, ratione *Verbi*, ratione *Sui*, ratione *Nostri Paschalem* hanc *Existentiam* explicare vellemus; sed hac vice saltem ratione *Verbi* præscripti, ratione *divinæ revelationis*, ratione *paradisiacæ historie*, cum primis ratione *Protevangeli*, piis scrutiniis ad *Christi* mandatum, Joh. V. 39. eam exponemus. (1) *quia* *verbum Dei principium* adæquatum nostræ cognitionis, & meditationis. (2) *quia* hoc *Dei Verbum* tutissima dicitur *aurifodina* nostræ *persecutionis*, vel *inquisitionis*. (3) *quia* *paradisiacum verbum*, est *verissima norma*, seu *regula Fidei* totius *protoplastorum*, vel tum *credendorum*, tum *agendorum*, tum *sperandorum*, ipsis ex divina revelatione concessorum. (4) *quia* de *Paschali*, sive *Fide*, sive *Festo Protoplastorum* aliunde certi nec esse possumus, nec debemus, adeoque nec aliud *principium deductionis*

hujus



8 DE FIDE CATHOLICA PRIMORUM FIDELIUM

hujus eligere volumus. Et sic etiam ex *historia Verbi Paradisiaci Paschalem hanc Existentiam confirmatam dabimus.*

4. Probamus igitur *Fidei, Festiq; Paschalis Paradisiacam Existentiam*, (1) per *Existentiam Paradisiacam paschalis occasionis, quæ paschalis occasio?* In *Paradiso* certe *multiplex occasio paschalis* actu fuit. Alia (1) ratione *Diaboli, callidissimum regni Diaboli fastigium*, quia, tanquam *fortis armatus, paradisum* invadebat, *hominem felicem* oppugnabat, & tanquam *μυροτοχὴν*, suis *fallaciis, & mendaciis* eum expugnabat, in medio *Paradisi regnum* suum inchoabat, *solium* quasi *regiū* in eo collocabat, & per universum genus humanum, seu *Microcosmum*, consequenter etiam *Macrocosmū*, hoc *Regnū* amplificabat, & *atrium* suum in pace, vel quiete possidere, vel custodire cogitabat. Necessarium igitur erat, ut *ἰσχυρότερος*, vel *fortior* eo, superveniret, eum potenter vinceret, ejus arma *fortiter*, in quibus confidebat, eriperet, Luc. XI. 21. 22. *Regni Dei destructio*, nihil aliud, quam *Regni Satanae constructio*: sed contra, *Regni Satanae devastatio, & subjugatio*, dicitur *Regni Christi generatio, conservatio, vel ampliatio*. Talis autem *Regni Christi plantatio, vel edificatio*, fit ex *passione, & morte Christi*, sed per *victoriosam paschalem vitam*. *Corpus*, in primis mysticum, *campus* est, ubi *Sancta Christi civitas* ædificatur, vel *Civitas* hæc est ipsum *corpus Christi*, Eph. I. 23. *Sanguis est irrigatio, & facundatio*: fideles hic *nati*, vel etiam *immatriculati*, vel *jure Civitatis* donati sunt; tales *fideles, Christi membra* sunt, juxta *Paradisiacam Historiam, Adam, & Eva* cum omni posteritate fidelium. (2) Alia, ratione *Dei, Miserrima hominis incauta seductio, vel corruptio*, quæ *viscera misericordie* divinæ commovit, ut homini misero salutem exoptaret, & hæc *infinitam Sapientiam* permovit, ut de tali *remedio* cogitaret, cum primis quia *sapientia* divina non modo *Consilium salutis* dedit, sed etiam *salutis auxilium* præstare constituit: & cum aliter id fieri non posset, propter *immutabilem veritatem, & veritatem Dei*, vel etiã propter *rigorosam, & infinitam Dei justitiam*, Ipsamet *passionem crudelissimam, & mortem crucis ignominiosissimam* nostri causa suscipere, *Paschalemq; victoriam* instituire non dubitavit. *Homo peccaverat,*

verat,



IN MESSIAM PASCHALEM VICTOREM. EX GEN. III. 9

verat, *homo* mori debebat. *Homo* nihil mereri poterat, alium igitur *passionis*, & *mortis*, ut & *Victoris*, & *Triumphatoris*, vicarium infinitæ virtutis exigebat. (3) *Alia ratione Dei, iudicii severi, juxta legem, institutio, vel administratio, v. 9. seqq.* Hoc iudicium reum tenebat, & *satisfactionem* urgebat, quæ non nisi per *satisfactoriam passionem*, & *mortem*, & consequenter *Paschalem victoriam*, fieri poterat. Dum ergo per *divinam gratiam*, & *promissionis evidentiam*, *Vicarium satisfactorem*, & audiebant, & credebant, ideo certissimi de *Passione Mediatoris*, ut & *mortis ejus*, consequenter & *Vitæ*, & *Victoris Paschalis* esse poterant. (4) *Alia ratione Christi*, quæ ratione *Semen mulieris* suo modo dicitur *occafio*, quia *Semen* infert *conceptionem*, & *nativitatem*. Jam autem *Dei Filius* frustra *Semen mulieris* factus non est, nec frustra *conceptus*, atque *natus*, sed ut pro *peccatoribus*, & *condemnationis Candidatis* satisfaceret, ac tanquam *Agnus sacrificialis* omnem *culpam*, & *pænam* sua sponte portaret, imitar *ἀποπομπῆς* hirci, Lev. XVI. 7. seqq. mox autem *vivus*, & *victor* evaderet, ut cunctis *redemptis præesse*, vel *prodesse* posset. Hæ sunt *occafiones* præcipuæ, sed *actuales* omnes, adeoque simul etiam *actualem satisfactoriam passionem*, & *mortem*, atque *Paschalem Vitæ restitutionem* exigunt, si homo salvari debeat, nisi quis etiam (5) *legem actualem* *adjudicare* vellet, quam *actualiter* etiam urget ipse *Legislator*, v. 11. *Quis indicavit tibi, quod nudus esses? nonne ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* *Lex* igitur urgebat *pænam meritam*, *pænam passionis*, & *mortis*, & *satisfactoris Paschalem Vitam*. Jam, *positis actualibus occasiõibus*, ponitur *res ipsa*, cum *actualis occasio* respiciat *actualem actionem*, vel *rei conditionem*.

5- (II) *Per Existentiã Paradisiacã Paschalis commotionis*: Nam certum est, quod ex seqq. apparebit, quod *actualis misericordia* Dei nequiquam homini sit denegata: *Malum* erat in homine, sed *bonum* in eodem exigebatur; *in Dei* pariter in homine reperiebatur, sed in eodem *gratia* requirebatur; *peccatum*, & *viti-um*, in eo residebat, sed *bonum opus*, & *virtus* sedem in eo propriam obtinere debebat: *Malitia* multiplex, & insuper etiam *miseria*

B

domi.



domicilium in homine paraverat, ex *dignissima* creatura facta, fuerat *indignissima*, ex *nobilissima ignominiosissima*, ex *optima pessima*, &c. Hæc, & alia movebant Dei *misericordiam*, ut cogitationes *pacis*, non *belli*, non *ira*, sed *gratia*, non *justitia*, sed *miseri-cordis*, *promissionum*, non *con. minationum*, vel *condemnationum*, de nobis susceperet. Hinc commotus est Deus, ut *Filium* suum, *Verum Satisfactorem* ex mera *gratuita misericordia* nobis gratis promitteret, & exhiberet. *Actualis misericordia* regnavit in *paradiso*, sic etiam *passionis*, & *mortis*, & *paschalis* ex *parte Vitæ* Dominicæ regnabat eadem. Et sic ex mera Dei *miseri-cordia* nobis vicariam *passionem*, & *mortem*, per ipsum *Protevangelium*, ejusque circumstantias offert. Ubi datur *actuale motivum passionis*, & *mortis*, ut & *Vitæ*, *Victoriæq; paschalis* Messæ, datur ibi pariter ipsius *Paschalis Existentiæ*.

6. (III) Per *Existentiæ Paradisiacæ Paschalis Cause Principalis*, & quidem *determinatæ*. Nam ubi datur *Efficiens Causa Principalis*, in *actu* posita, certe neutiqvam ibi poterit *Existentiæ* ipsius *rei* negari, cum *actualis positio cause principalis*, in *actu*, sit ipsius *rei positio*: jam quod in C. III. *Causa Principalis Deus*, quoad *Essentiæ*, *Unus*, & quoad *subsistentiam*, *Trinus*, inveniatur, nimirum *Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, illud non opus habet prolixa demonstratione, cum *novies* in hoc *unico capite*, sed nunquam citra *peculiarem emphasim* introducatur, quod tum in *Festo Genealogico*, tum in *Festo Passionali* multis demonstratum dedimus: & quidem non *absolute*, vel *indeterminate*, sed ad ipsum *Semen, Caput serpentis contriturum*, determinate: hæc autem verba *Paschale Compendium* revera comprehendunt: inprimis autem *Pater Filium* mittit, & huic negotio præficit eum, ut sua *contritione passiva*, vel *mortifera*, & *activa sua* *contritione* hostem infernalem prorsus conculcasset, genus humanum redimeret, & pro eodem satisfaceret. Ipse *Filius satisfactionis* negotium suscepit, ac fortiter expedit, omnem *Satanæ* potestatem fregit, dum ipse *passiones, languores, & dolores* omnes suscepit, & patienter sustinuit, feliciter autem expedit. Denique *Spiritus Sanctus, Elohim Jehova*, pariter in omnibus *actualiter*, tum quoad *verbi revelationem*, tum quoad *inter-*

nam



nam *mentis*, & *voluntatis illuminationem*, tum quoad *perspicuitatis impositionem*, & *donationem*. Sic igitur *Causa Principalis* actualis extra dubium etiam rem actualiter existentem evincit, nim. *Ipsam Vitam, & Victoriam* Messiae.

7. (IV) *Per Existentiam Paradisiacam Paschalis causa Meritoria* quæ citra dubium *veræ fidei presentissima* fuit: prout enim *Messias mortuus est propter peccata nostra*, sic etiam *resurrexit propter justitiã nostram*, Rom. IV. ult. certe quod aliquod *meritum*, per se respectu *divinæ justitiæ*, vel etiã respectu *mortis* per peccata *promerita*, sit necessariũ, nostris *protoplastis* ignotum non erat. *Meritum* autem illud apud se reperire non poterant, quia sub *debito peccatorum* hærebant, & veri *debitores* erant, insuper omnia sua Deo *Legislatori* debebant: jam *debitum* non est *meritum*: nec illud apud alias *creaturas* inveniebant, quia *creatura creaturam, fratrem frater redimere non potest*, Ps. XLIX. & in solo proinde Deo *meriti* rationem quærere, vel invenire poterant: & jam audiverant, quod *Jehova Elobim Semen mulieris* sit in maximo *mysterio*; quod insuper *is serpentinum calcanei morsum* sit *passurus*, sed *innocens*, & neququam ex propria culpa, verum propter *Adami*, vel *Eve*, seu *posterorum omnium culpam*, atque *pœnam*; quod denique *Semen* hoc in *contritione calcanei caput serpentis* sit *contriturum*, in *vitam* sit *rediturum*, & *triumphum* ab antiquo serpente, *morte*, vel aliis *inimicis*, sit *reportaturum*. Sic igitur per suam fidem ad hoc *Verbum* respiciebant, & secundum ejus ductum, *Paschale meritum* firmiter apprehendebant, & *Paschale gaudium*, *Paschalem triumphum* ex *Paschali merito* percipiebant.

8. (V) *Per Existentiam Paradisiacam Paschalis inimicitia: Deus est inimicus Satanae*, *Serpentinae calliditatis*, *mendacis Diaboli falsitatis*, *omnis etiam tentantis*, & *seducentis pravitatis*. *Omnia siquidẽ opera Diaboli Deo sunt invisa*, sunt *inimica*: sed *Dei vicarius*, *paradisi*, vel *horti voluptatis colonus*, *Adam* has *inimicitias* ferre non potuerat, in certamine potius ipso succubuerat, & à *Diabolo victus*, ac *infernali tyranno subiectus* erat: alium igitur *inimicitiarum* harum *Autorem*, & *Statorem*, *oppugnatorem*, & *expugnatorem*,



Deo ipse constituebat, nim. non ψιλάνθρωπον, sed θεάνθρωπον, ipsum Messiam, qui rectius, & animosius, has inimicitias suscipere, eas sine culpa gereret, & ratione nostri prorsus tolleret. Hac de causa Deus ipse dicit: Ego ponam Inimicitias: inimicitie versabantur, inter Deum Legislatorem, & hominem peccatorem, inter Dei legem, & inter eius transgressionem, inter hominem, creaturarum Dominum, tanquam Dei vicarium, & inter universum creaturarum caelum, Creatori, tanquam Domino superiori constantius adhaerentem, & arma contra Dominum inferiorem, ex voluntate superioris, moventem, inter vitam, & mortem, inter serpentem, & hominem, &c. Sed in Paschali Domino sunt omnia reconciliata, pariter omnis inimicitia sublata, quia per Dominum Paschalem, sumus in hoc Dilecto dilecti, Epb. I. 6. dum Deo placuit in ipso omnem divinitatis, & bonitatis etiam, plenitudinem habitare, ut omnia peccatoribus reconciliarentur, quae sunt in caelis, & terris. Col. I. 19. 20. Sic igitur hoc tempore paschali recte canimus, & nobiscum etiam Protoplasti nostri canere potuerunt: Ein Wohlgefallen Gott an uns hat/ nun ist groß Fried ohn unterlaß/ alle Fehde hat nun ein Ende.

9. (VI.) Per Existentiam Paradisiacam Paschalis militiae: nam ex inimicitis iam allegatis in paradiso nihil aliud, quam bellum sacrum oriebatur, pugna, vel militia gravis instituebatur. Protoplasti quidem militiam contra Satanam tentatorem, seductorem, & destructorem, suum militare debuissent, sed nulla virtus in viribus ipsorum remanserat, & ab infernali tyranno iam victi, proh dolor! erant, nihil igitur apud se resistentiae videbant. Deus autem horum captivorum, & milere debellatorum, vere misericors est, & alium pro his bellatorem constituit, (qui dicitur מַלְחָמָה בֵּן, Vir bellator, κατ' ἰξοχὴν Exod. XV. 3.) ipsum Messiam, qui Satanae bellum indicare, militiam adversus eum movere, pugnam adversus ipsum suscipere deberet, non autem tantum adversus ipsum, sed etiam adversus omnes hostes spirituales, sicut Ecclesia militiam, & pugnam hanc admiratur, & sibi de victoria paschali gratulatur: Es war ein wunderlicher Krieg / da Tod und Leben rungen: admirabilior etiam erat, cum mortuus, vid. in calcaneo contritus, adversus vivum, serpente

tem



IN MESSIAM PASCHALEM VICTOREM. EX GEN. III. 13

tem infernalem, tanquam Spiritum, & Draconem semper viventem, impotens adversus potentem, imbellis adversus rebellem, vermis, & non homo, contra Draconem magnam, &c. militiam paschalem gereret, & in morte caput omne contereret, calliditatem omnem surriperet, potestatem omnem dissolveret, mortem ipsam cum Diabolo destrueret, Heb. II. 14. Hoc itidem nobis aperit Ecclesia: *Jesus Christus Gottes Sohn/ an unser statt ist kommen/ und hat die Sünde abgethan/ damit den Tod genommen/ als sein Recht und sein Gewalt/ da bleibt nichts denn Todes Gestalt/ den Stachel hat er verlohren.* Hanc militiam promissi Seminis optime per verbum videbant Protoplasti, firmaque fide talem suam faciebant, & huic militie paschali confidenter, adversus Diabolum, peccatum, & mortem, adherebant. Semen mulieris erat Paschalis  $\omega\epsilon\gamma\mu\alpha\chi\theta$ , sed ipsi non erant  $\alpha\nu\tau\omega\mu\alpha\chi\theta$ , verum  $\alpha\delta\iota\theta\upsilon\alpha\chi\theta$ .

10. (VII) Per Existentiam Paradisiacam Victoria Paschalis: nam ubi victoria Paschalis, ibi citra dubium est Vita Paschalis, Virtus Paschalis, energia Paschalis, &c. adeoque vera festivitas paschalis. Jam victoriam Paschalem audiverunt in verbo protoplasti, Semen mulieris conteret caput serpentis: imò jam tum conterebat in protoplastis ejus astutiam versipellem, malitiam rebellem, potentiam crudelem, &c. Vincebat Satanam, vincebat eum malitia serpentis hominū etiam  $\alpha\nu\omega\upsilon\iota\alpha\nu$ , &  $\alpha\nu\lambda\nu\omega\upsilon\mu\lambda\alpha\nu$ : per ipsum peccatum, à protoplastis imputatum, vincebat peccatum, in carne contr. etum, per mortem suam vincebat mortis penam, quia morte sua destruebat eum, qui mortis habebat imperium, id est Diabolum, Heb. II. 14. hinc canit Ecclesia: Das Leben das behielt den Sieg/ es hat den Tod verschlungen: Die Schrift hat verkündiget das/ wie ein Tod den andern fraß/ ein Spott aus den Tod ist worden/ Alleluja. Mors Christi, mors judicialis, vel etiam infernalis mortis mors, ipsius etiam Cæcodæmonis. Hoc autem in verbo promissionis audiebant, in typicis sacrificiis videbant, & in cordibus suis per verbum firmissime credebant, & ita suum Paschale Festum ex animi gratitudine tunc in honorem Paschalis victoris instituebant.

11. (IIX) Per Existentiam Paradisiacam Verbi Paschalis:

B 3

vel



vel etiam *Concionatoris Paschalis*, dum *Concio* refertur ad *Concionatorem*, & vice versâ: nam & de *Paradiso* verum fuit illud *Davidis*: *Man singet/man saget/man prediget/man lehret/mit Freuden vom Sieg*. Nam hæc verba, *Semen mulieris conteret caput serpentis*, veram *Concionem paschalem* nobis offerunt. Hic non est *humanus Concionator*, quia tales suis *concionibus* (dum eas quotannis tempore paschali, & alias, *conciones paschales*, pulcherrimas, & fructuosas instituunt,) paschalibus auditoribus fructum copiosum afferunt: nec est *angelicus*, quales ipso die *paschatos* apparuerunt, & *letum nuncium*, vel *Evangelium paschale*, *SURREXIT*, mulieribus, & Apostolis attulerunt: sed potius *divinus Concionator*, Ipse *Jehova Elobim*, hic *primus*, hic *summus*, hic *maximus*, & *optimus*, paschaliū *Concionū predicator*, & citra dubium *energeticus*, qui pariter *ὡς ἐξ ἁγίας ἰ-χθῦν*, *Matt. VII. ult.* *Paradisiacam Concionem paschalem* proposuit, & non tantum *protoplastorum auribus* insonuit, sed potius *cordibus*, ac *animis* ipsorum impressit, ac sua gratia *penetranter*, & *efficaciter*, eos & illuminavit, & de *mysteriis paschalibus* informavit, id quod vel ex eo liquet, quod post *auditam concionem paschalem*, ne quidē ullum, vel minimū dubium *Protoplasti* moverint, sed in *aperta veritate paschali*, humiliter acquieverint: Jam ubi *Conciones Paschales* habentur, ibi pariter *Festum paschale* celebratur, & per verbum *Fides Paschalis cordibus* ingeneratur, cum nunquam sine *fructu*, seu *vacuum*, ad *Deum*, *primarium Preconem*, atq; *Concionatorem* revertatur, *Esa LV.*

12. (IX) *Per Existentiā Paradisiacam Auditoris*, vel etiam *Ecclesie paschalis*: Nam ubi *Concionator*, ibi *templum*, & *auditorium*, cum nullus *Concionator* sine certis auditoribus *conciones* suas instituat, siquidē *orator*, vel *Concionator*, & *Auditor relata* vulgo dicuntur. Adest *Concionator Paschalis*, *Jehova Elobim*: adest *paschale verbum*, *Concio paschalis*, sicut audivimus: Ergo quoque fuerunt in *paradiso paschales Auditores*; nim. *Adam*, & *Eva*, qui tum temporis *Ecclesiam paschalem* constituebant, dum per *Concionem paschalem* illuminabantur, primamque *concionem* hanc *paschalem* *vacivis auribus* percipiebant, ipsum *Victorem paschalem* in cordibus suis



fuis suscipiebant, in *mentibus* suis recipiebant, ac in Eum vere credebant, & sic Eum, tanquam Victorem Paschalem colebant.

13. (X) Per *Existentiã Paradisiacã Fidei paschalis*, quia sicut *hodie* nostris in *cordibus* hæc *prima Concio paschalis* dubio procul activitate *spirituali fidem paschalem* generat, quod neq; potest neq; debet nobis denegari: dũ *Caput serpentis contritum* est, vere cum *Paulo* dicere possumus, ex *I. Cor. XV. 54. absorpta est mors in Victoria! Ubi est mors Victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? ubi tua, inferne, Victoria? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus verò peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum!* quippe qui promissit apud *Hoseam, c. XIII. 14. De manu inferni redimam eos: De morte liberabo eos: ero pestilentia tua, o Mors: ero lues tua, o inferne.* Si *verbis* hæc non dixerunt *protoplasti*, per *fidem* tamen veram eadem *mysteria* perceperunt, & crediderunt, quemadmodum de *fide Abelis* certi sumus, ex *Hebr. XI. 4. Abelis fides autem eadem cum Protoplastorum fide*, cum hic ab illis accepit.

14. (XI) Per *Existentiã Paradisiacã representationis paschalis*: nam ut ex *ipsis pellibus sacrificialibus*, & *ipsis sacrificiis*, ipso pariter *Messiae sacerdotio*, vel ex respectu *sacerdotalis substituto*, vid. *Adamo*, qui *visibilis Messiae Sacerdotis*, & fuit, & esse debuit: *Vicarius*, ac ex aliis multis, est manifestum, *sacrificium primum in paradiso* fuit oblatum, & ab ipso *Messia*, primo, summoq; *Sacerdote*, tum administratum, tum quoad omnes *sacrificiales ritus Adamo* demonstratum. Jam quodlibet *sacrificium* tam *passionis*, & *mortis*, quam *Vitæ*, vel *resurrectionis Messianæ* tunc *typus*, *symbolum*, & *speculum*. Peccator *Adam* pecudem *sacrificialem* sistebat, ac pro suo gravissimo *peccato Deo irato* visibiliter offerebat, & in eo *Messiam*, tanquam *Antitypum*, per *veram fidem* respiciebat, & apprehendebat: ipsum *sacrificium mactabatur*, & *occidebatur*, ac offerebatur, & in eodem quoque *Messias* ipse, tum pro peccatis occidebatur, tum *offerebatur*: sed ex hac oblatione *nova vita* peccatoribus oriebatur, dum *remissio peccatorum* ipsis conferebatur *vita cum justitia Messie* simul eisdem imputabatur, hæc autem *Vita*  
Messia



*Messia Mediatoris erat: si vivum Messiam, & vivificum pariter in sacrificio, vel etiam post sacrificium Protoplasti Messiam non credidissent, nec ab eo vitam spiritualem per fidem obrinere, nec in eodem hanc vitam possidere valuissent.*

15. (XII) *Per Existentiam Vitae Paschalis: quia prius per peccatum Protoplasti mortui fuerant; sed nunc per Contritionem Serpentinei capitis, à morte spirituali resurgebant, dum vitam novam spiritualem incipiebant. Cur hoc? quia Messias, pro peccatoribus, per contritionem calcanei mortiferam, mortuus, Victor evaserat, vitam receperat, suaque morte caput serpenti contriverat. Protoplasti viva membra sub Capite vivo, Messia promisso. Membra viva dici nequeunt, capite mortuo, sed membrorum Vita necessario Vitam capitis exigit; quæ Vita Messia Paschalis, vita, non ante, sed post mortem, vita realis, ex morte resurrectionis.*

16. (XIII) *Per Existentiam Paradisiacam Pacis Paschalis: Pax verè paschalis, ex paschali militia, victoriaque reparata, quæ de causa prima Vox Christi resurgentis discipulis congregatis dicta fuit, Pax Vobis: Sic etiam Protoplastis nostris Messias post serpentinei Capitis contritionem dixit: Pax Vobis: pax vere paschalis vobis semper erit: Ubi pacis paschalis existentia, non potest ibi negari Festi paschalis, vel etiam Fidei Paschalis Existentia.*

17. (XIV) *Per Existentiam Paradisiacam justitiæ Paschalis: mera per peccatum in protoplastis regnabat injustitia, quæ nullum justitiæ veræ locum concedebat; sed per contritionem capitis serpentinei Messias injustitiæ primum condum, ipsum Diabolum, vicit, & injustitiæ ab hominibus sustulit, è contra vero paschalem justitiæ, postliminio comparatam, miserimis peccatoribus contulit.*

18. (XV) *Per Existentiam Paradisiacam Victoriæ, Gloriæque Paschalis: nam Messias in contritione serpentinei capitis, non tantum ipse Victoriæ, & Gloriæ obtinuit, sed etiam nostris Protoplastis, & omnibus ipsorum posteris, hanc Victoriæ, & Gloriæ acquisivit, ut & ipsi Victoriæ, Gloriæque Paschalis participes essent, quia non sibi, sed peccatoribus penitentibus hanc Victoriæ, & Gloriæ Paschalem comparavit.*







